



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXXI. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Sylvester, qui Constantinum leprâ munda-
vit, pietatem suam in Deiparam firmatu-
rus templum eidem dedicavit dictum S. *MAR-
IA libera nos à pœnis inferni*, & ejusdem
templi aram multis reliquiis repositis sanctis-
simæ DEI Genitrici dicavit. *Baron.* Hæc ulti-
ma & optima petitio.

S. Sylvester, dum vitam meam, prout nunc
annum, terminaturus sum, horreo quoties co-
gito quàm lata & spatiosa via sit, quæ ducit ad
interitum, quàmque multi eant per illam: ideo
te per *MARIÆ* amorem rogo, ut pro me apud
Deiparam intercedas, ut per ejus magna meri-
ta & intercessionem liberer à pœnis inferni.
Amen. O Sanctissima DEI, &c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: me examinabo
quomodo hoc anno me in amore Deiparæ
gesserim, an defecerim vel profecerim. Deipa-
ræ, tanquam Intermediatrici, per quam om-
nia nos Deus habere voluit, gratias agam pro
omnibus totius anni beneficiis.

Salutem Maria corporibus, & animis me-
delam afferebat, potens suscitare à morte car-
nis & animæ: quis unquam ab ea æger vel
tristis aut cœlestium mysteriorum ignarus
abiit. S. *Amad. hom. 7. de laud. B. V.*

Quæstio: Utrum B. Virgo in die Judicii pa-
riter judicanda sit? v. *Vega Theol. Mar. n. 884.*